

*Restantiae pecuniarum quonam dandae? Quove converti et quando de illis ratio reddi debeat?*

Articulus 12.

Restantiae autem (si quae fuerint inventae) si fuerint dicarum, laborumque gratuitorum et taxarum Liberarum Civitatum; dentur ad Camera:

- §. 1. Ita tamen; ne illae, nisi ad confiniorum reparationes convertantur:
- §. 2. Si autem fuerint alterius sortis; tunc apud manus exactoris maneat: Ac illae etiam cum praescitu Suae Majestatis ad ipsas reparationes locorum finitimorum convertantur:
- §. 3. Super quibus in proximis Regni Comitibus tam Camera quam exactores, sufficientem rationem reddant.
- §. 4. Idem fiat in Sclavonia coram Deputatis ejusdem Regni.

*Sclavonia Petriniam et alia Castella pro posse aedificare curabit.*

Articulus 15.

Sclavonia vero Petriniam et alia Castella, prout incepit; pro sua possibilitate, aedificare diligenter procurabit.

*Sub cujus protectione Petrinia esse debeat decernendum.*

Articulus 16.

Supplicant autem Status Sclavoniae; ut Sua Majestas cum Serenissimo Archiduce Ferdinando statuere dignetur; sub cujus protectione idem confinium Petrinia esse debeat? ne alioquin in hostium manus iterum deveniat. \*)

*Civitates Sclavoniae Liberae taxas suas ad conducendos apud Kolapim milites convertant.*

Articulus 19.

Liberae vero Civitates in Sclavonia taxas earum, ad conductionem militum apud Kolapim existentium, convertant.

*De modo et ordine convectionis victualium in castra: De pretio vecturae et aliis: Et quinam ex Ungaris Praefecti Annonae in diversis Regni Partibus constituti?*

Articulus 25.

Convectio victualium in castra admodum necessaria est: Nam milites sine victu, officio suo satisfacere non possunt:

\*) Adde, An. 1596. art. 45.